

Q. D. B. V. 420 25
DISSERTATIO JURIDICA
SECUNDA, 1683 22^a

De
**JURE ARCENDI
OB METUM PESTIS,**

Qam
Consensu Magnif. ꝑctorum Ordinis,
PRÆSIDE

VIRO EXCELLENTISSIMO,
DN. GODOFREDO Strauß/

**ICTO ET ANTECESSORE IN HAC ACADEMIA FAMI-
GERATISSIMO, POTENTISSIMI ELECTORIS SAXONIÆ ET
SERENISSIMORUM PRINCIPUM ANHALT. SERVEST. CONSILIARIO SPLEN-
DIDISSIMO, SENATUS JURIDICI ELECTORALIS ATQVE ORDINIS
SUI ADSESSORE GRAVISSIMO,**

*Dn. Patrono, Præceptore & Promotore suo omni honoris &
obsequii cultu atatem prosequendo,*
publico examini submittit

CAROLUS GODOFR. VOLLMARUS,
Servestâ-Anhalt.

IN AUDITORIO ꝑCTORUM
Ad Diem 19. Decembr. Anno M DC LXXXIII.

WITTENBERGÆ,

Literis Vidua BRÜNINGIANIS,
Excudebat ANDREAS Wall.

32.


GENEROSISSIMO VIRO,
DN. JOH. GEORGIO von der Marwitz/
In groß und klein Riez/ Dölzig &c. Hereditario,
Potentis, Electoris Brandenb. Comiti, nec non Serenisf.
Principp. Anhalt. Servestan. Consiliario intimo, Aulæ Marefchallo,
Cameraq; Principalis Directori gravissimo &
optimè merito,
Domino ac Patrono suo observandissimo,

Nec non
*Nobilissimis, Amplissimis, Splendidissimis atq;
Prudentissimis*
INCLUTÆ SERVESTANÆ REIPUBLICÆ
DN. NN. NN.

CONSULIBUS,
JUDICIBUS,
SYNDICO,
CAMERARIIS,
SENATORIBUS,

Evergetis Maximis,
Ingrediente Novo Anno singula
Felicia, unò Felicissima comprecatur

Cliens devotiss.
C. G. VOLLMAR.



JESU JUVA!

CAPUT III.

*De Subjecto seu iis, quibus jus arcendi
ob metum pestis competit.*

§ 1.



Dotest arcendi jus, si in pri-
mis incunabulis suis idem cernere gestia-
mus, melioris doctrinæ causa dupliciter
considerari vel quatenus extra Rempubl.
vel prout in Republ. exercetur. Priori ca-
su quibuslibet Patribusfamilias respectu
prædiorum suorum absolutè convenit.
Tum enim illi gaudent potestate maritali, paterna & herili,
& vi earundem jus quoque vitæ & necis in personas familiis
suis subjectas obtinent. Quod ipsum ex Sacris literis est plus,
quàm manifestum. Ante tristissimum enim protoplastorum
lapsum Adamo suo erat æqualis Eva. Desciscentem verò
à se Deus tanquam autorem horribilis perduellionis crimi-
nis subijciebat eandem Adami imperio *Genes. 3. v. 16.* hacce
condemnatoria formula: *Voluntas tua obnoxia esto marito*

A 2

tuo

tuo & hic dominabitur tibi. Ex quibus maritalis potestatis incunabulis paternum mox emicuit & prolicitum quasi imperium est. Hoc enim causæ in effectum meritò competit & non potest quam venter melioris esse conditionis partus. Id quod apud Jctos in proclivi est: quippe qui partum ventris statum sequi & recipere *L. ult. C. de liber. caus. L. partum 7. C. de R. V. L. 5. §. idem scribit 2. ff. eod.* apertissimè confitentur. Sicut verò in familiis suis imperabant Patres: ita etiam easdem defendere & tueri fines ipsis integrum erat. Sunt enim hi extra Rempubl. instar Monarcharum & Regum vid. Aristotel. *Lib. 1 Polit. Cap. 7.* Quæ ergo jura adversus alias gentes exercent Reges ac Principes: ea fere adversus vicinos aliosq; exteros usurpabant Patresfamilias extra Rempubl. degentes. Ita Abrahamum bella gessisse, pacem & fœdera inivisse legimus, *Genes. 14. & 21. v. 27. seqq.* Nemini ergò ambigere fas erit, quod olim Patresfamil: & hodiernum etiam, si qui extra Respubl. existant, jus arcendi ob metum pestis exercere contra adventantes queant. Cui enim id, quod majus est, licet, etiam id, quod minus est, licebit, *cap. cui licet 53. de R. J. in 6. L. 21. ff. eod.*

§. 2. Dum deinde majestas dimittebatur è cœlo, eadem ornati augusta jura consecuti procul dubio etiam arce- cere finibus possunt, quos ob morbos contagiosos suspectos intromissos damnum irreparabile provinciis daturus ti- ment. Ipsorum enim officium postulat, ut saluti subdito- rum omnibus prospiciant modis, nec inferiores iidem Patri- busfamil. veteribus hac parte erunt. Quam in rem plura facere verba, nihil attinet: cùm superius in primâ Disserta- tione hoc punctum sat abundè fuerit exputatum. Cœterum Imperatori Romano idem jus competere etiam tum dictum & ex Legibus Justinianeis evictum fuit. Cùm verò Imperii nostri facies immutata & Respubl. olim simplex in mixtam, ut

ut nunc quidem est, transierit, quæstio moveri poterat, utrum Imperatori soli, an verò cum consensu Electorum ac Statuum id juris exercere liceat? Quod quidem problema distinctionis remedio omnium optimè extricabitur. Quod si enim Imperator in Bohemiæ Regno item in Austria vel aliis provinciis hereditariis suis prohibere forenses ob metû pestis à finibus suis habeat necesse, propria auctoritate id ipsum facere posse, ambiget hæctenò nemo. Obtinet enim in iisdem summa & territorialia jura & hinc fines suos tutari & ab imminente malo conservare poterit. Id quod adeò indubitatum est, ut si secus quis statuere præsumeret, Imperatorem ille reliquis Imperii Statibus faceret inferiorem, non sine absurditatis nota. Ex adverso, si Imperator ut talis externos alicujus gentis ab omnibus Imperii finibus arcere consultum ducat, existimaverim ego optimum esse, si ad minimum cum præscitu Electorum id ipsum exsequatur. Quamvis enim hanc in rem nulla expressa Imperii sanctio pragmatica reperiatur; ex similibus tamen casibus arguere illud licet. Ita enim in gravissimis causis utpote foederum, alienationis, belli gerendi &c ad minimum Electorum consensum exquisiturum promisit invictus hodiernus Imperator Leopoldus in capitul. §. 10. 12. 13. Jam verò prohibitio accessus ad Imperii fines res magni momenti est, unde bellum facilè exardescere potest. Consilium ergò Statuum vel ad minimum Electorum ista efflagitabit. Cui accedit, quòd per ejusmodi prohibitionem commercia sufflaminentur, quæ propriò aliàs ausu non poterit tuto tollere Imperator Capitul. Ferdin. 4. §. 22. & Modern. Imp. Leopoldi §. 23. *prope fin.* Nam & de Judæorum prohibita receptione communi Imperii consensu dispositum legimus in *Recess. Imper. de*

anno 1548. §. 20. tit. von Juden und ihrem Wucher 2c. Si-
mile exemplum cernitur in Cingaris den Zigeunern /
de quibus *in cit. Rec. Imper. tit. 27.* ita sancitum reperitur:
Derjenigen halben / so sich Zigeuner nennen und hin
und wieder in den Landen ziehen / gebiethen wir allen
Churfürsten / Fürsten und Ständen bey den Pflichten/
damit sie dem H. Reiche verward ernstlich und wollen/
daß sie hinführo dieselben Zigeuner (nach dem man
glaubliche Anzeige hat / daß sie Erfahrer / Verräther
und Aufspeher seind und der Christen Land dem Türcken
und andern der Christenheit Feinden verkundschaften)
in und durch ihr Land nicht ziehen/handeln noch wan-
deln lassen/nach ihnen die Sicherheit und Geleith ver-
statten 2c. vid. alias de Cingaris istis *Limn. de Fur. publ. Lib.*
9. cap. 1. num. 161. seqq. Interim inde satis patet, quod jus
arcendi certum hominum etiam genus ab Imperii totius
finibus Imperator unà cum Statibus exercere soleat. Quid-
ni ergò de prohibitione totius gentis vel hominum alte-
rius Reip. idem dicamus? Cœterum illud iterum inculco,
quòd salute & utilitate publica celeritatem in hoc prohi-
bitionis articulo exposcente non omnium Statuum noti-
tia præcisè sit necessaria; sed Electorum consensus ac sci-
entia hæctenus sufficiat, arg. §. 10. *cit. Capitul. Leopoldi.*

§. 3. Electoribus porro & Principibus reliquisq;
Imperii Ordinibus competere jus arcendi ob pestis me-
tum vi superioritatis territorialis, supra in prima Dispu-
tatione fuit ostensum. Quod quidem iisdem eo minus
dubium reddi potest, quo certius est majores etiam in ipsos
cadere potestates. Nam & jus belli tenent, vid. *Aur. Bull.*
tit. 17. §. fin. Handhabung des Friedens zu Worms de
anno 1495. tit. 17. §. fin. Limn. de Fur. publ. Lib. 4. cap. 8. n.

247. Adeo ut Princeps invasus se in continenti possit vindicare, Ordinat. Pac. Publ. de anno 1521. Tit. die Pœn aller Friedbrecher ibi: den Beschädigten ꝛc. Carpz. *de Leg. Reg. Cap. 4. n. 15.* Pariter & fœdera Status Imperii securitatis & pacis causa ineunt, Aur. Bull. tit. 15. ibi: Jedoch die Gelübde und Verbündnis / so die Fürsten / Städte und andere wegen gemeinen Landfriedens aufgericht / ausgenommen ꝛc. jung. Handhabung des Friedens / Rechtens und der Ordnung zu Worms anno 1495. Tit die Königliche Majestät sol keinen Krieg anfangen ibi: Auch sollen Wir / wir unser lieber Sohn Erzhertzog Philip / auch unsere Churfürsten / Fürsten und Stände des Reichs / ohne wissen und willen jährlicher Versammlung / keinen Krieg oder Fehde anfangen / noch einig Bündnis oder Einigung mit fremden Nationen oder Gewälthhen machen / die dem Reiche zu Schaden / Nachtheil oder zu wieder sein möchten. Unde probabiliter à contrario concludere licet, quòd fœdera Imperio proficua inire Status optimo jure queant, vid. Limn. *de jure publ. cit. l. num. 16.* Redit ergo communis argumentatio & conclusio nostra, quod, qui bellum gerere, qui fœdera inire cum aliis queunt, multo magis potestate arcendi exteros ob metum pestis valeant.

§. 4. Firmum ergò manet & fixum sedet, quòd Principes & Status Imperii jus arcendi cum adversus extraneas gentes, tum adversus aliorum Statuum cives valide exercere possint. Numverò & ipsius Imperatoris subditos prohibere à finibus suis integrum Imperii Statibus sit, quæri poterat. Quod quidem asseverare nullus dubito. Quamvis enim Imperator caput Imperii sit & hinc ipsi à Statibus cunctis veneratio meritò debeatur; tamen
nihil

nihil inde prærogativa ad subditos ejusdem diffluit. Universalis territorialis superioritas est & sicut ad omnes sui territorii districtus sese porrigit; ita adversus forenses sine discrimine quoque sese exserit. Et ut multa paucis complectar: æque adversus Imperatoris subditos in terris ejus hæreditariis jure hocce utitur Imperii Princeps ac quidem contra alios Imperii Principibus subjectos. Ita Hungari, ita Bohemi territoria Principum transeuntes æque vectigal ac alii pendere & in illis commorantes pariter etiam provinciarum legibus submittere se coguntur. Quod quidem in vulgus notum est & si quispiam dubitare desuper sustineret, sensuum eidem memoria revocanda esset. Illud tamen adhuc monere hocce in articulo habeo, quod si Imperator in infectis ejusmodi terris sedem suam habeat, rectè atque ordine facturum Principem si Imperatori institutum istud prohibendi submissè indicet. Necessitatis se lege, duro telo eò adigi cum suæ suorumque saluti prospicere sibi incumbat. Nam & sperare se fore, ut non malè consulat id Cæsarea Majestas cum & ipsius intersit, ne malum in felix latius serpat & indies crescens sanas Imperii partes invadat ac consumat tandem. Se interim Imperatori non defuturum literasque & mandata Ipsius accepturum libentissimè. Vigilibus enim finium id ipsum injunxisse. Ita reverentia erga Cæsarem persistet inviolabilis & securitati regionum cujuslibet Status sapienter prospicietur. Et verò, si Imperii Princeps citra ullam Imperatori eo nomine factam notitiam muniret fines suos & repelleret indifferenter quoslibet ex Imperatoriis terris, facilè id ipsum ad contemptum quendam interpretaretur Cæsar: præprimis si & cursus publicos è locis Cæsareis avertere salus publica exigat.

§.5. Ast

§. 5. Ast, quid si invalescat in Cæsareis terris pestis
venenum & vitæ consulturus Principis vel Status cujus-
dam territorium intrare & ibidem commorari præoptet
Imperator, anæ cum Comitatu suo recipiendus, an verò
cum eodem etiam repellendus erit? Recipiendum ego
ipsum adstruerem. Sunt enim Electores reliquique Sta-
tus Imperatoris atque Imperii vasalli & subditi, tradente
Martino Rumelino *ad Aur. Bull. part. 3. Dissert. 2. thes. 8.*
Prius investituræ literæ & fidei datio comprobant: Siqui-
dem omnia, quæ habent, & per infeudationem consecuti
sunt, beneficio & auspiciis Cæsarum Imperiique obtinent
atque exercent, vid. *Recess. Imper. de anno 1521 Ordnung
des Landfriedens/ sub tit. Handhabung des Friedens/
§. darauf befehlen ibi: Auch bey Verlust aller Gnaden/
Privilegien und Rechten/ so ihr von uns und dem Heil.
Reiche habet.* Posterius exinde liquere videbatur, quod
iidem Cæsareæ Majestatis subjectissimos, *der Kaysert.
Majestät aller unterthänigste/ gehorsamste* se in literis
& supplicationibus profiteantur. Quæ certè formula ac
Curia stylus venerationem ac obsequium ipsorum lucu-
lenter arguit, *Conf Reinking. de Regim. Secul. & Eccles. Lib.
1. Clas. 5. Cap. 6. num. 85. seqq. Sixtin. de Regal. Lib. 1. cap. 4.
num. 8.* Quamvis hoc ipsum cum grano salis acci-
piendum sit: Siquidem status Imperii Imperatoris subdi-
ti merè tales non sunt; sed summam simul potestatem
participant. Nam & iidem Imperatoris *unterthänigste/
gehorsamste* nominantur, intuitu Imperii, cujus Impera-
tor supremum caput est, cui se merito cum maxima reve-
rentia submitunt reliqua Imperii membra, *Conf, Burgol-
dens. ad Instr. Pac. part. 1. Disc. 23. §. 1.*

B

§. 6.



§. 6. Quicquid ejus sit, supposito hoc & concessio, quod Electores ac Status fidelitatem debeant præstare Cæsari, incolumem hunc servare eosdem etiam oportet. Qui enim Domino suo fidelitatem jurat, sex semper in memoria debet habere: Incolume, tutum, honestum, utile, facile, possibile. Incolume, ne sit in damno Domino de corpore suo &c. 2. F. 6. Can. de forma 18. Caus. 22. q. 5. Tenetur scil. domini incolumitatem ac commodum promovere vasallus, & avertere studiosè, quod Domino forte imminet damnum. Clarius & plus dicam, obstrictus est vasallus erga Dominum, ita se gerere, ne vel omittendo vel committendo obsit vitæ & corporis incolumitati & securitati, Dn. Struv. in Syntagm. Jur. Feud. cap. XI. th. 3. Nunc verò infectis pestis veneno Cæsareis terris, quis non videt, ipsum in præsentissimo vitæ periculo esse constitutum, cui ut eripiant Status caput suum, omninò ipsis incumbit. Accedente cum primis fidelitati summa ista veneratione, qua hoc illos prosequi fas est.

§. 7. Possit etiam pro Cæsaris partibus depromi aliquod argumentum ex apertura jure der Deffnung / quam subditi tempore belli Domino territorii aperiendo castra & arces facere tenentur, Limnæus de Jur. publ. Lib. 4. cap. 8. num 244. Unde & feuda aperibilia die aufgebige Lehn & clausula consveta & solennis das Schloß N. und Stadt sol uns offen seyn wieder männiglichem zu unsern Kriegen und Nöthen / wo wir das bedürffen / niemands ausgeschloffen / vid. Besold. in Thesaur. Pract. Voce Deffnung / & Wehner. in Pract. Observat. Verbo Deffnung / offen Haus. Nam & Besoldus in Polit. Lib.

Lib. i. Cap. 4. num. 25. tradit, quod majestati omnia fortalitia patere debeant. Interim, quia Doctores, qui Imperatoris Reservata retexunt, id juris insimul non commemorant & iidem communiter aperturæ necessitatem subditis injungunt, vel ut cum vasallo ita pactum sit, supponunt, vid. Limn. & Wehner. *cit. loc.* adde Tabor. *de Metat. & Epidem. cap. 6. num. 10.* eodem ego argumento abstinere malui. Quamvis enim nullus fortè Status in terris suis facilè aditum Cæsari sit denegaturus; quemlibet tamen absque conventionis lege ad aperiendum arces & urbes semper & ubique esse obstrictum, hætenus vix ausim asseverare. Ad quod thema meditatus incidi in visionem à Wehnero *cit. loc.* prope finem propositam, cujus verba hæc sunt: Hoc loco non prætereunda est pulchra quæstio à Sichard. *in L. 30. num. 6. C. de fideicom. fol. 943.* proposita: quidam Princeps promisit Cæsari, quod velit ipsum juvare contra omnes nullo excepto: vel promittit ei, quod velit ei dare receptum, quod vocamus *Deffnung* in omnibus suis munitionibus & castris, *daß Er freyen Aus- und Einritt habe.* Si deinde Cæsar moveat isti promissori bellum aut velit eum offendere: tunc ille Princeps nec tenetur eum juvare, nec ei receptum dare in castris suis, non obstante generali promissione. Semper enim excipitur persona loquentis, *L. Inquisitio C. de Solut.* Hæc Wehnerus. Unde tutò, puto, colligere est, quòd quoniam speciali de super conventionem inita Imperator à Principibus Imperii potestatem istam consequi & obtinere debeat, vi imperii eidem vix competat, conventionem quippe alias ista futura superflua. Interim quilibet Status, quid hac parte fidelitas & veneratio, qua obstrictus Imperatori est & ipsa civilitas exigat, temporisque ratio permittat, facilè secum excogitabit statuetque.

§. 8. Illud potius monendi sumus, quod & in' recipiendo Imperatore ob pestis periculum circumspicio quædam Principibus & Statibus Imperii nequeat invideri. Destinato enim Ipsi in territorio loco, in reliquis urbibus & cum primis, ubi ipsemet degit, Princeps exerceri jus ar- cendi potest, si Cæsaris Comitatus advertatur contamina- tus. Quod nemini mirum videri debet: Siquidem, Princeps in fidelitatis promissione suam, uti supra etiam monitum, tacitè personam excepisse intelligitur. Ut enim si leam isti fidelitatis præstationi eximere Interpretes com- munitè & præferre quasi feudi Domino, Patrem, filium, uxorem ac fratrem, vide Gothofr. in Not. 2. F. 7. num 66. generali equidem sermone non continetur persona lo- quentis, arg. L. 1. de Senat. L. 53. §. ult. de Act. empt. L. 10. C. de Solut. Cap. Petitiõ 31. x. de Furejur. Quo pertinet, inquit Caspar. Bitschius in Comment. ad cit. 2. F. 7. insignis locus 1. Corinth. 15. v. 27. ubi D. Paulus inquit, cum Psalmus oda- vus dicit, DEUM omnia subiecisse sub pedibus Christi, ma- nifestum & sine dubio esse, quod eo sermone non intelligatur is, qui subiecit ei omnia. Et rectè monet Celsus in L. 9. ff. de Ser- vit. cum quid simpliciter & infinite dicitur, verba civiliter esse intelligenda & in sermone quadam tacitè excipi. Hæc Bitschius. Atqui & charitas ordinata à se ipsa incipit nec vitio verti poterit vasallo, quod de sui suorumque salute simul cogitet, dum de Domini incolumitate deliberat. Quamvis & rogari Cæsarem à Vasallo posse putem, ut hu- jus terras intrans paucioribus utatur ministris, ne pars sin- cera etiam trahatur. Nam & id efflagitare videtur mu- tuum inter Senioresem & Vasallum fidelitatis consortium, Dominus enim feudi quoque in omnibus vicem fidei suo reddere debet, dict. 2. F. 6.

§. 9.

§. 9. Post Imperatorem Electoribus ac Imperii Principibus, Statibusq; rectè adscribi arcendi potestatem, supra in priori Disputatione ostensum. Qui enim jus superioritatis territorialis tenent, iis & hoc omninò competit. Ut hinc crambem bis coctam iterum apponere minime ducam necesse. De Statibus provincialibus quæstio injici poterat, num & his facultas arcendi attribuenda veniat? Qued omninò asserere ausim, istamqve tam late porrigerem, quam late ipsorum patet jurisdictio. *So weit ihr Reichbild gehet.* Limites enim sicut in domo; ita perinde in territorio finem constituunt. Et quamvis non lateat nos differentia istarum urbium Principibus Imperii subditarum: aliæ etenim nutui suorum Principum obnoxia in omnibus sunt; aliæ verò multis immunitatibus ac privilegiis præditæ, quales sunt: Rostochium, Wismaria, Hildesia &c. vide Mevium *ad Jus Lubec. Quæst. 2. Prelim. num. 42.* Burgoldens, *ad Instr. Pac. part. 1. Disc. 23. n. 4* tamen hac parte parum inter utrasq; intercedere discriminis putaverim. Sicut prioribus majori potestate polentibus disputari arcendi jus nequit: ita posteriores jurisdictione instructæ salutem subjectæ sibi terræ & incolarum procudere minime sunt prohibendæ. Convenit enim magistratui civitatem ab omni sorditie & immunditie vacuam conservare, ne sordibus ac fecibus aëris tranquillitas inficiatur & pestes, febres, gravesq; infirmitates inde orientur. Quam in rem edicta ipsi promulgare omninò erit integrum, Conf. Besold. *de Consider. Vit. & Mort. Cap. 2.*

§. 10. Sed non satis liquere videbatur, quæ copia detur arcendi exteris civitatibus municipalibus? Pone enim, hæc statuta condere, pone, consuetudines recipere posse; tamen nec illa, nec hæc adversus alios terræ subditos

valebunt aut exerceri poterunt. Conf. Rauchbar *part. 1. q. 1. num. 28.* Cui accedit, quod civitas alterius Jurisdictionis cives evocare nequeat, vide eund. Rauchbar *p. 1. q. 13. n. 20.* unde à contrario arguendum videbatur, quod nec prohibere à muris suis eosdem ipsi liceat. Magistratui enim supra modum jurisdictionis suæ jubenti impunè non paretur, *L. fin. ff. de jurisd. ibiqve Dn. Brunnemann. num. 1. Paul. de Castro & Uldaric. Zasius ibid. Mevius ad Jus Lubec. quest. pralim. 4. num. 2. 3.* Verùm forenses alienum territorium ingressos obligare Statuta ejusdem loci in proclivi est. Dum enim ibidem agere ac subsistere percipiunt, legibus & Statutis istius se territorii submisisse intelliguntur, *Carpzov. Lib. 5. Resp. 1. num. 17.* Conf. Joann. Petr. Surd. *Lib. 1. Dec. 13. num. 5. 6.* adeo ut & Judicis arbitrio puniendi quandoq; relinquuntur, vide Paul. Christin. *Decis. Belgic. Vol. 2. Dec. 2. num. 8.* Atqui & iidem forenses in eo territorio, quo agunt, ad collectæ etiam exsolutionem indubiè tenentur, quoties eadem pro tuitione loci & aliis periculis obviandis vel avertendis imponitur ipsaque commodum vel defensionem bonorum forensis concernit, idem Christin. *Vol. 5. Decis. Belgic. Dec. 48. num. 8. seq.* Tum verò à jure evocandi haud competente ad denegandum arcendi jus non oppidò licet argumentari. Evidentissima sanè subest diversitatis ratio. Alterius enim territorii subditi evocari ideo nequeunt, quia evocans nec in eorum personas, nec in territorium, in quo morantur, quicquam jurisdictionis obtinet: Unde iterùm redit canon, ultra jurisdictionem jus dicenti impunè non paretur, *cit. L. fin. de Jurid.* Sed verò, qui extraneos territorium ingressuros avertere satagunt in territorio, à quo repellunt jurisdictionem, omnino obtinent & hinc licita cohibitio est.

§. II.

§. II. Nimirum paucis ita habendum: Fons & origo
omnis jurisdictionis est majestas; quæ sicut potestate pol-
let summa in civitatem ubique: ita etiam in rebus civilibus
ac criminalibus cognoscendi, statuendi & exequendi fa-
cultate augustissima ubiq; locorum Imperii gaudet. Ne ve-
rò illud onus nimium gravet imperantis humeros, solet
hic passim istam potestatem communicare subditis, ean-
demq; certis plerumq; districtibus circumscribere. Conf.
Eckolt. tit. ff. de Jurisd. §. 4. Quemadmodum ergo vi sum-
mæ jurisdictionis Princeps arcere ab Imperii finibus pe-
grinos valet: ita magistratus in municipiis aliqve juris-
dictionis exercitium tenentes à terris sibi subjectis repel-
lere suspectos extraneos possunt. Id interim inficiandum
haud est, quod jus hocce subalternum Principis arbitrio
subjaceat. Nam & omnis jurisdictio à Principe Magistrati-
bus destinata vel etiã Vasallis indulta hætenus dispositio-
nem concedentis non averfatur. Quidni ergo & arcendi
jus ejusdem moderationem expectabit? Pone igitur, Prin-
cipem magistratui municipali interdicare, quò minus ex
alia civitate advectos arceant, tum utique ejusdem volun-
tate acquiescendum est. Jurisdictionis enim concessio à
Principe facta aliis, eidẽ cunctam disponendi facultatem
non adimit: quin potius, quæ ad Reip. salutem faciunt,
haud obscurè censentur exempta.

§. 12. Sed hic ista visio incidit, num magistratui mu-
nicipali competat istud arcendi remedium etiam tum,
quando Præfectus militum in ipsa urbe à Principe est con-
stitutus. Negativa sententia verior esse videbatur. Con-
creditæ enim civitatis portæ Præfecto & hinc simul facul-
tas admittendi exteros & eosdem etiam repellendi attri-
buta simul intelligitur. Et quamvis jurisdictionem, im-
perium

perium merum & mixtum teneat municipalis magistrat9,
non tamen in portas huic quicquam juris. Claves potius
ipse custodit Præfectus militum, *L. 12. §. 2. de re milit.* adeoq;
& nomine Principis admittendi & non admittendi jus pe-
regrinos exercere valebit in advenientes. Ego verò hic
discrimen molirer inter jus arcendi ab urbis pomœriis, vel
castello: & à finibus jurisdictionis cujusque civitatis: Illud
magistratui oppidano omninò asserendum est, quoniam
ipsius curæ incumbit, ne urbs aliquod ex infectione alte-
rius capiat detrimenti. Nec indignabitur ad ejusmodi Se-
natus prohibitionem urbi præfectus, cum ad urbis pomœ-
ria nondum delati fuerint advenæ, adeoq; ipsius potestas
nondum ceperit vires. Sicut enim præfecti urbi olim Im-
perium urbem & centesimum milliare non egrediebatur
L. 1. §. 4. de Præf. urb. ita & hodie portas & valla in civitati-
bus munitis concredita sibi præfecti obtinent & ut utraq;
defendere queant, certo militum numero imperant. Pote-
rit ergo magistratus oppidanus cives, vel mercenarios
quosdam disponere circa jurisdictionis suæ primordia &
suspectos forenses, territorium intraturos repellere. Nec
custodia ista quicquam præjudicat præfecto urbis muni-
tæ, qui in portis invigilat, ne intromittantur contaminati.
Nam & accidere hinc potest, ut peregrini à vigilib9 oppida-
nis admitti, tamen jussu præfecti arceantur ab ingressu ur-
bis, quoties ipsi non satis videntur sinceri. Sæpe etiam com-
municato consilio præfect9 urbi & Senatus ejusdem fines
observant & ille simul milites custodiæ commodat. Cives
enim arctiori disciplinæ non assueti haud semel in ejus-
modi negotiis segriores fuere deprehensi. Tum quoque
in hoc casu advertendum est, num à Principe ipsi solius
urbis, an verò simul totius districtus circa urbem ob-
serva-

servatio sit commissa. Sanè, ubi hic loci contagionis me-
tus invalescebat, transvectioni super albi semper tres ad
minimum aderant milites, qui advenientium literas tran-
sitorias examinabant & è locis suspectis profectos oppidò
repellebant & nec epibatides quidem intrare permitte-
bant. Dubii verò expectare & num transvehendi fuerint,
vel non, supremi Præfecti militum nostri Generosi
perquam & civitatis nostræ saluti summa cura
invigilantis jussui obsequi tenebantur. Quo fa-
ctum, ut DEI auxilio Suburbia etiam nostra fuerint
à malo isto cervicibus nostris passim imminente sal-
va præstita, quæ facilè venenum capere potuissent, si ad
eadem undequaque confluere peregrinatibus fuisset in-
dultum. Longè verò aliter res se habet, si civitati Castel-
lum adjacet & huic peculiaris Capitaneus præest. Tunc
enim magistratus oppidantis deficiente præprimis præsi-
diario milite urbem; hic verò arcem curæ sibi habet.
Exemplum hanc in rem suppeditat nobis Lipsiensis civitas
& castellum contiguum. Huic enim Præfecti; illi Sena-
tus providentia invigilabat peste appropinquante & ipso
malo emporio isti celeberrimo incubante, nec minus eo-
dem per DEI clementiam iterum profligato. Custodes per
singula loca ingressus suburbiorum erant diligenter dis-
positi, qui adventantium literas testimoniales efflagita-
bant & exhibitas in urbem ad eos, quibus examinandi istas
provincia demandata erat, perferebant. Reduces hi de-
inceps admittebant sinceros, vel repellebant suspectos. Et
hactenus hæc Senatus custodia locum invenit, quoties ur-
bi præsidiarios milites non imposuit Princeps. Hoc enim
facto illa admodum minuitur ac circumscribitur, quam-
vis & hoc casu Principis voluntas sit sedulò attendenda

C

man

mandatumque ejusdem exputandum. Ita quandoque ille subsidiarium militem in urbem mittit, ut unam cum magistratu oppidano salutis publicæ curam habeat, quandoque verò absolutè militum Capitaneo custodiam urbis & defensionem ab ingruente malo concedit. Modò, ut civitatis omnes portas, modò, ut una saltem custodiant milites, disponit, reliquis civium vigilantia relictis. Semper itaque circumstantia singulæ probè discutiendæ & imprimis Domini territorialis jussa sunt ponderanda, quippe cui universalis Reip. cura & salus incumbunt; aliàs facilè hîc impingetur.

§. 13. Atqui & urbes, quæ jurisdictione destitutæ, pagi pariter ac vici arcendi potestatem habent, in quantum hæc à superiori non circumscribitur. Quo in puncto dissentire lubet à Johanne Francisco Ripa *Tr. de Peste cap. 5. de Remed. ad conservand. Urb. qui universitati Regalibus & jurisdictione destitutæ arcendi facultatem denegat. Prohibendi enim jus est variū, nec omne à Regalibus & jurisdictione dependet; Sed datur etiam vulgare privatis commune & ex ipsius societatis natura resultans. Vid. ea, quæ hanc in rem tradidimus supra Disp. 1. Quin singulis civibus & incolis eandem tuto tribuemus. In situs omnibus animatis vitæ amor, quæ sicut semel adempta, redit in hoc mundo nunquam, ita animalia cuncta obitum deprecantur, quantum possunt, homines verò rectoratione in simul præditi hac istam evitare studiosissimè conantur. Cùm ergò, tradente Livio *Lib. 25. num. 26.* contactus ægrorum, vulget morbos pestis tempore & pestifero etiam odore corpora conficiantur, rectè atque ordine facit, qui, quantum in se est, occasionem morbi capitalis à se avertit. Nam & in una civitate, qui degunt, hoc jus adversus se invicem rectè*

rectè usurpabunt. Ita fac, vicini domum, vi morbi repletam, quotidianaq; funera & mortem, ubi iterum cum Livio *cit. loc.* dicam ob oculos esse: tum verò prohibere civis quilibet potest, quo minus ex suspectis ejusmodi habitaculis domum suam quis intret. Quamvis enim in una urbe, in uno pago habitantes societas contineat ac jungat, nihil tamen obstat quicquam, quo minus in horrido hocce mortis articulo se separare à concivibus suis aliquis possit eorumq; aspectum à se amoliri.

§. 14. Claudat præsens caput quæstio, num conjux conjugem ob metum pestis arcere à se, seq; ab ead. separare queat? Equidem maritus decumbenti uxori parum prodesse, sibi verò nocere facilè & pestis malum conciliare potest. Mortui enim ægros, ægri validos, cum metu, tum tabe ac pestifero afflatu facilè consumunt. Quod si ergo maritus ægrotae uxori de medicamentis, cibariis aliisque prospiciat necessariis, satisfacisse suo videbatur officio, cum nemo se obliget ad matrimonii contractum; nisi salvæ vitæ incolumitate, Henric. Zoës *ad tit. x. de Conjug. Lepr. n. 2.* In contrarium vero argumentum *ex capit. 2. x. de conjug. leprof.* huc trahi solet. Verba ejus ita habent: *Quoniam nemini licet, (excepta causa fornicationis) uxorem dimittere, constat, sive mulier lepra percussa fuerit, seu alia gravi infirmitate detenta, non est à viro propterea separanda vel etiam dimittenda.* Et paulo post: *Quod si virum sive uxorem leprosum fieri contigerit & infirmus à sano carnale debitum exigat generali præcepto Apostoli, quod exigitur, est solvendum, cui præcepto nulla in hoc casu exceptio invenitur.* Dum ergò sanus leprosa cohabitare conjugi debere, hic adstruitur, pariter in pestis periculo hac infectæ uxori maritum adesse debere statuendum esse videbatur. Accedit, quod uxor sit pars corporis mariti, *Can. admonere 8. Caus. 33. q. 2. & ad*

*Ephes. cap. 5. disertè habetur: Viri diligite uxores vestras, sicut corpora vestra, qui uxorem suam diligit, se ipsum diligit, nemo enim unquam carnem suam odio habuit; sed nutrit & fovet eam. Quod eo ampliari ait Schneidevv. ad Inst. tit. de nupt. part. 4. num. 51. ut nec quoad thorum seu mutuam servitutem fiat divortium. Et verò hoc ipsum jus civile hæctenus comprobare suo modo videtur in L. si cum dotem 22. §. si maritus 7. ff. Sol. matr. hisce verbis: quid enim tam humanum est, quam fortuitis casibus mulieris maritum vel uxorem viri participem esse. Quorsum spectat, quod Ludovic. Vives Lib. 2. de Christ. Fœmina cap. 3. pag. 365. tradit in hunc modum: Si tuum corpus tractare te non pigeret agrum & in pustulas bufones ac ulcera oculos & manus immittere, cur maritam aversaris sic affectam, cum sitis duo in carne una seu ut dicam latinius, homo unus, Genes. 2. v. 24. Pecuniam inquis attuli, qua conducatur, qui hoc agat. Ergo mercedi uxor tua nupsit non tibi & tu maritum te esse censes solū, quod tecum cubitat conjux, an in hoc uno situm conjugium arbitraris, leges profecto DEI & natura violas. Conf. Carpz. Lib. 2. Jurispr. Confist. Def. 180. n. 3. Dn. Ordin. Ziegler. ad Lancell. Lib. 2. tit. 10. §. 25. §. 15. Alii moderationem quandam conjugii sano hic persuadere satagunt, quod iste ita infectæ succurrere & adesse uxori teneatur, ut vitæ propriæ non inferat irreparabile aliquod damnum. Quorsum ego refero & interpretor ea, quæ tradit Gothofred. ad Schneidevv. cit. l. Lit. C. quando, pleriq; tamen inquit, sic sentiunt, amplexum connubialem partem sanam præstare non cogi, quod mihi æquum videtur. Satis enim superq; est fidei & amoris indicium, si leprosus conjux à conjugate non deseratur, si ei per ministram vel ancillam commode omnia præstentur & inserviat. Durum enim est, ut conjux, qui morbo contagioso non tenetur, conjugii ita contagioso convivere & conjugalem amplexum reddere teneatur. Non licet malum facere, ut eveniant
bona*

bona. Malū fieret, si propagando isti morbo occasio daretur, hoc uno colore, quod conjux nō sit deserendus. Et quid si liberi inde ante morbū alterutrius suscepti? Familia & innocentum liberorum habenda est commiseratio, ut saltem per eum Parentē, qui sanus est, eis possit prospici. Furvandus maritus ac Pater, non sic autem, ut innocentibus & immeritis fiat injuria. Hæc Dionysius Gothofr. Equidem in hoc articulo deprehensus, quilibet conscientiam suam examinabit & ita se exhibebit, ne mariti vel uxoris officium neglexisse nec tamen in seipsum injurius esse videatur. Atque hinc, si sua præsentia maritus uxori nihil præstare, ipse verò contagii labem faciliè contrahere potest, abstineat, se potius ipse; medicamenta verò decumbenti porrigi & eidem diligenter inserviri curet. Ex adverso si ministras consequi possit nullus conjux, sanus ipse adesse tenebitur. Non faciliè enim tranquillam reddet conscientiam maritus, qui destituit uxorem, quocunque morbi genere laborantem, vide Carpzov. in Jurispr. Consist. Lib. 2. Def. 180. num. 3. & def. 203. num. 12. Facit huc quod Julius Caponus Tom. 3. Discept. Forens: cap. 1. num. 28. tradit hisce verbis: qui matrimonium contrahunt, suam personam alienare videntur, quia non habent amplius sui corporis potestatem & sibi invicem vir & uxor sunt servitute obnoxii. Cap. si infidelis 28. q. 2. Nec habenda in super B. Lutheri Tom. 3. Vitteb. fol. 395. adhortatio est, quæ ita habet: Darumb lieben Freunde laffet uns nicht so verzagt seyn und die Unsrigen / so wir verpflichtet nicht verlassen / was sind alle Pestilenz und Teuffel gegen Gott / pfui dich und aber pfnidich du leidiger Unglaube / der du dich lässest eine kleine Drüse mehr schrecken / denn dich die Gött. Verheißung stärcket.

§. 16 Quod de conjugibus hactenus censuimus,
id' etiam de Parentibus & liberis volumus intellectum.
Liberi enim Parentibus debent obsequium h.e. honorem,
reverentiam, pietatem, beneficii gratiam *L. 1. §. t. t. ff. de
Obseq. Parent. §. patr. præst. ibiq.* Wissenbach. *num. 19.*
Adè ut illi hos egentes alere teneantur, *L. 5. pr. §. 2. §. §.
17. ff. de agn. §. alend. liber.* ciconaria quasi lege uti non-
nulli statuunt, vide Wissenb. *ad dict. tit. Pand. §. 17.* Exi-
mum hanc in rem præstitit exemplum Æneas,
quod sequentibus versibus *Lib. 2. Æneid.* induxit
Virgilius:

Ergò age care Pater, cervici imponere nostræ
Ipse subibo humeris: nec me labor iste gravabit.
Quo rescunque cadent unum & comune periculum
Una salus ambobus erit, mihi parvus Julius,
Sit comes & longe servet vestigia Coniux.

Pariter Parentes in liberis suis magis afficiuntur & terren-
tur, quã in se ipsis, *L. 8. §. ult. quod met. caus. Petr. Surd. Decis.
201. n. 9.* Unde una pene persona *L. ult. C. de imp. §. al. Subst.
plus dicam pars corporis paterni esse intelligitur, arg. L. 22.
§. fin. C. de arg. §. cens. Lib. 11.* Unde & Pater officio iudicis
cogitur alere filium *L. fin C. de alend. lib. Alex. Trentacinq.
Lib. 1. Rubr. de Aliment. Resol. 2. num. 1.* nec ergo Pater
vel mater gravis, etiam morbis dejectos salva conscientia
derelinquere liberos poterunt.


§. 17. Illud etiam, antequam hinc discedamus,
monendum restat, quod ministri Ecclesiæ adversus paro-
chianos jus arcendi exercere nequeant. Hi enim illius
opera

opera & ministerio tempore pestis maximè indigent. Ad-
vocatibus ergò ad ægrotos sacra Synaxi fortè usuros adeo
fores præcludere nequeunt, ut potius accedere ad eos-
dem, ipsosque erigere & alias officium suum facere tene-
antur. Accedit, quod eorum separatio arguat diffidentiam
erga promissiones divinas, *Psal. 91. v. 7. ibi: non appro-
pinquabit ad Te malum & Matth. 10. v. 30. Capilli capitis ve-
stri omnes numerati sunt, nec non Hebr. 13. v. 5. non derelin-
quam te, nec deseram te, vid. plura argumenta hanc in rem
apud Carpz. Lib. 1. Jurispr. Consist. Def. 72. num. 4. seqq. &
Def. 165. n. 1. seqq.* Sicut verò minister Ecclesiæ non arcere
valet eos, qui ex domibus urbis suspectis etiam ipsum ad
ægrotos accersitum veniunt; ita multo minus discedere
eidem ab Ecclesia erit integrum, vide iterum Carpzov.
cit. loc. Interim utraque doctrina non videtur in univer-
sum abire. Nam quod quidem facultatem arcendi atti-
net, quandoque in Ecclesiæ ministrum eandem compete-
re existimarem. Quæ fini loca, ubi ille agit, sedulò sunt
discernenda. Ita pone ejusmodi urbem, ubi peculiare
Pastores pestilentiales, quos vocant constituti, tùm verò
ad quoslibet ægrotos istis superstitionibus non posse evocari
reliquos Ecclesiæ Ministros, persuasissimum mihi habeo.
Vnde etiam his aliquod jus arcendi invidendum non erit.
Pariter & ipsis fas erit à loco pestifero discedere, si absque
scandalo & jactura muneris Ecclesiastici fieri queat. Au-
diamus iterum Carpz. qui *cit. loc. Def. 72. n. 9.* hæc adjicit:
*Quid enim si aliis quoque Ecclesiis sit præpositus (Minister scilicet
Ecclesiæ) Ecclesiæ in loco pestifero aliis verbi Ministris sit
instructa, aut substituatur alius, qui non minore dexteritate,
diligentia ac fide Ecclesiastici muneris partes obeat: ita ut*
absq

absq; scandalo & jactura functionis Ecclesiastica secessus fieri
queat? Non invidendus tum erit locus tutior Ecclesie mini-
stro, qui forsitan ultra modum est timidus; nam in casu ne-
cessitatis & publica utilitatis Ecclesiam dimittere Canones
concedunt, Can. mutationes Can. scias caus. 7. q. 1. Matth. Ste-
phan. de Jurisd. cap. 16. num. 5. & 11. Hæc Carpzovius. Ul-
teriora hic merito relinquimus Theologis & quæ adhuc
circa jus nostrum arcendi ejusdemque potissimum
objectum restant, tertiæ eidemque ulti-
mæ Dissertationi reservamus.

Interea sit

SOLI DEO GLORIA!





Politisime ac Præstantissime

DOMINE VOLLMARE,

Fautor ac Amice Colende plurimum.

OPeram juri hodie dant multi, qui tamen in publicum prodire & certamen eruditionis sustinere refugiunt. Dum enim privata disceptationum exercitia averfantur, nec minus examina, quamvis oblata, deprecatur, fit, ut ipsimet rebus suis diffisi cathedram quasi perhorrescant. Sed ex horum numero Te, Respondens præstantissime, non esse, præsens dissertatio monstrat, quam defendendam ex laudabili suscepisti instituto. Gratulor hinc Tibi ex animo, fausta quæq; & fortunatum studiorum tuorum solatium precatus. Gratulor etiam
Paren-

Parenti tuo Reverendo plurimum,
qui operam suam in Tui educatio-
ne & ad literas addiditione se haud
perdidisse, impense gaudebit; cui
quidem, vel eo nomine bene cu-
pio & obstrictus sum, quod ab Ipso
prima Latinæ lingvæ rudimenta puer
hausi. Faxit Deus Optimus Maximus
& laborē istum consummata Tui feli-
citate benignissimè penset! Dabam
ex meo museo die 12. Decembr.
M DC LXXIII.

Tuus omni Studio

PRÆSES.



Ad Politissimum

RESPONDENTEM;

publicè ex Jure disputaturum.

SI tantum mihi suppeteret ocii,
quantum propensioris in te affe-
ctus animo foveo, prolixâ gratulatio-
nete ornarem. Laudarem in te inge-
nium

nium sedatum, mores compositos, vitæ quæ ratione decori apprimè studiosam. Extollerem diligentiam tuam, cum adhibito in studiis pulchro ordine, quo non contempsisti pro parvis, sine quibus ad magna perveniri non potest, verum eloquentiæ, historiarum cognitioni, ac philosophiæ prius dedisti operam, quam vastis Actorum voluminibus te involveres. Quam nobilissimam disciplinarum si quis non instructus prius à commemoratarum artium subsidiis aggreditur, inter eos referri meretur, de quibus Comicus: Quid cum illis agas, qui neque jus, neque bonum, atque æquum sciunt: Melius, pejus, profit, obfit, nil vident, nisi quod lubet? Quam quidem in re gaudeo me consentientem habere magnum Virum, ita differentem: Qui post adeptam Lingvæ Latinæ notitiam

tiam exiguam, si diis placet, & man-
cam, ad juris sefe studia contulere, nul-
lis aliarum artium præfidiis sepi,
quantumvis illi facultati longo tempo-
re & labore studuerint, non jurisperi-
tos, sed ineptos lejulejos, ac legum
paucarum notitiâ memoriâ imbutos
appellandos existimo. Sed enim cum
non vacet impræfens his ipsis incum-
bere, votum dabo, ut, quod nunc fufci-
pis negotii, ex animi fententiâ succe-
dat, quodq; ingressus es iter, felici
tramite decurras.

Tuus

Omni studio & affectu

CHRISTIANUS Röhrensee / P.P.




JAM *Vollmare* ardet tristi Germania bello,
Atque ardet Themidos pectus amore tuum.
Det DEUS accipiat lætam Germania pacem;
Tu verò tandem digna brabæa feras.

Nobilissimo atq; Clarissimo DNO. RESPOND.

*J.M. Cult. perquam strenuo, Fautori & Ami-
co suo honoratissimo scribebat*

M. Joh. Caspar Brendel/
J. U. Cult.







X2615929

WMA







Q. D. B. V. 420 25
DISSERTATIO JURIDICA
SECUNDA, 1683 22^a

De
**JURE ARCENDI
OB METUM PESTIS,**

Qam.
Consensu Magnif. Jctorum Ordinis,
PRÆSIDE
VIRO EXCELLENTISSIMO,
DN. GODOFREDO Strauß/
JCTO ET ANTECESSORE IN HAC ACADEMIA FAMI-
GERATISSIMO, POTENTISSIMI ELECTORIS SAXONIÆ ET
SERENISSIMORUM PRINCIPUM ANHALT. SERVEST. CONSILIARIO SPLEN-
DIDISSIMO, SENATUS JURIDICI ELECTORALIS ATQVE ORDINIS
SUI ADSESSORE GRAVISSIMO,

*Dn. Patrono, Præceptore & Promotore suo omni honoris &
obsequii cultu atatem prosequendo,*
publico examini submittit

CAROLUS GODOFR. VOLLMARUS,
Servedtâ-Anhalt.

IN AUDITORIO JCTORUM
Ad Diem 19. Decembr. Anno M DC LXXXIII.

WITTENBERGÆ,
Literis Vidua BRÜNINGIANIS,
Excudebat ANDREAS Wall.

32.